UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

185. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Visual Library

De inceſtis. *Ex Concilio Hilerdenſi cap.* IV.

CLXXXIV. De his qui ſe inceſta pollutione commaculant, placuit ut quouſque in ipſo deteſtando & inlicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantùm catechumenorum in Eccleſia admittantur; cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet. Concil. Ilerd. c. 4. Rhab. epiſt. ad Heribald. c. 20. Burchard. lib. 7. c. 3.

Ex Concilio Toletano.

Salubriter præcavendo ſancimus ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui, uſque quò affinitatis lineamenta ſucceſſione generis cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari. Quoniam ſcriptum eſt: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Concil. Tolet. 2. c. 5. Burchard. lib. 7. c. 6.

De eadem re. *Ex Concilio Agathenſi.*

CLXXXV. De inceſtis conjunctionibus nihil prorsùs veniæ reſervamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanaverint. Hos enim eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ penè priùs ſoror extiterat, carnali conjunctione violaverit; ſi quis fratris uxoris germanam, ſi quis novercam, ſi quis conſobrinam, ſi quis filiam avunculi, vel relictam ejus, ſi quis patrui filiam vel privignam ſuam duxerit. Sanè quibus conjunctio inlicita interdicitur, habebunt ſibi, poſt actam pœnitentiam, ineundi melioris conjugij (id eſt, legitimi) libertatem. (id eſt, poteſtatem.) [*Vide epiſtolam* Conc. Agath. c. 61. Concil. Arelat. 6. c. 11. Burchard. lib. 7. c. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN